

eorum sepulchra, intelligenda sunt juxta ea, quae aliunde sunt certa; Sœtium videlicet Ticini conditum, ubi & hodie tanquam Martyr colitur, Johannis verò Papæ Corpus Romam translatum.

VIII. Congestis in unum pluribus ad Theodorici vitam, & mortem spectantibus, ad Johannem reveritur, traditque is, quae nulli eius nominis alteri convenire possunt, quam prioris Agnellus cognomento celebri, quod de Theodorico agens perorat, præstat Valentini junioris, & Galla Placidia acta memorans, pleraque enim diversorum annorum in unum veluti fascem compingit. Quod primum, præcipuumque occurrit, pertinet ad Ravennatis Ecclesie Metropolitanam jus, Valentiniæque Augusti Decretum, cuius vigorem, si Agnello fides, XIV. Civitatum Episcopi, Episcopo Ravennati veluti Metropolitanæ subici capere, & eidem Pallii usus concessus dicitur, datumque ex candida lana, ut mos est Romanorum Pontifici, super duplo idem induere, quo usus est ipse (Johannes videlicet,) & Successores sui. Horum occasione, cura in Ravennatis Metropolis antiquitatem inquirerem, perpenderemque quanta cum veritate asseratur, ab ipsis Apostolorum temporibus id juris cepisse, longiuscula Dissertatio de Hierarchiæ Ecclesiasticæ originibus emerit, quæ in publicum prodit; intimius etiam in hujus Libri Præfatione, quæ hic tradit Agnellus, rimari placuit. Ostendi autem ut puto perspicue, hæc omnia falsa, Valentini III. ætati, & Agnello ipsi repugnantia. Diploma à Rubeo allatum evidenter supposititium est, tale etiam quod Agnellus vidit. Potuisse tamen Valentiniæ favoribus persequi Ravennam Ecclesiam, & à Romano Pontifice, ut Johannes perspecta sanctitatis Episcopus Metropolita fieret, & Pallio ornaretur, precibus obtinere, haud negem. Plura sunt, quæ id suadeant, ac in primis Valentiniæ, & Placidia pietas aliunde nota. Certè Petrus Chrysologus omnium primus Metropolitanica jura exercuit, qui à Romano Pontifice est consecratus. Cætera vide in Præfatione. De Pallii forma hic ideo nonnulla delibare sufficit, de qua plures scripsere. Mutatam circa decimi seculi initia apud Latinos, qui antea eodem, quo Græci Omophorio utebantur, satis constat. Baronius veterem Pallii figuram sibi haud plene competere ait ad annum CCCXXXVI., ubi Pallium vetus cum Phrygio, capitis videlicet ornamento, confundit; at ex Ravennatis Ecclesie monumentis docemur à Theodorici ferè temporibus, usque ad Gregorii Magni ævum, eadem formam Pallium perseverasse. Extat Ravennæ in insigni totaque Europa celeberrima omnium S. Vitalis Basilica duplex musivum opus, in quorum uno Ecclesiæ Episcopus, cum Basilicæ ejusdem Orthographia visitur, alterum, Maximianum item Episcopum exprimit Imperatori Justiniano proximum, cum utriusque cultu, vestibusque solemnibus. Pallium uterque ejusdem figuræ gerit Priorem Ecclesiæ effigiem ex musivo mihi describendam curavi; alteram Maximiani ex integra icone desumpsit, quam protulit Nicolaus Alamannus ad Procopii Anecdota. Utramque hic Lectoris oculis subicendam volui in apposita tabella A. Ex his cernitur, quid Dupli nomine intelligat Agnellus, & veteris Pallii forma dignoscitur. Duplum Casula est à frequentibus plicis, rugisque ita vocata, eas etenim fieri necesse erat, cum Sacerdos manus quoquo modo extraheret, vel movere voluisset. Hinc διπλά διακρούα in Glossis Græcobarbaris rugam, plicamque significare sentis Duchangius in Glossario Græcitatatis, & eadem ratione dictam puto χλαίον, seu lanam, aut potius penulam διπλοῖδος nomine, non quod duplex esset, sed quia plicis, rugisque abundaret, cum usui

Tom. II.

A erat. Pallii autem figura in allatis Iconibus, eadem est, ac ejus, quod magnum Gregorium gestasse novimus ex Johannis Diaconi descriptione in ejusdem S. Pontificis Vita lib. 4. cap. 84. Utebatur, inquit Johannes, Pallio mediocri, à dextro videlicet humero sub pectore super stomachum, circumlatim deducto, deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito, cujus pars altera super eundem humerum veniens propria rectitudine, non per medium corporis, sed ex latere, sinistro videlicet, pendet. Arbitror igitur eadem Pallii formam usos antiquissimis temporibus Romanos, & Ravennates Episcopos, & diutius perseverasse morem hujusmodi, quam vulgò creditur.

B D. Abbas Dominicus Passionejus & eruditione, & morum suavitate spectabilis, cui quantum debeant hæc studia mea, non est hujus loci explicare, ostendit mihi descriptionem accuratam Sacelli ejus, quod olim à S. Paulo I. Pontifice, octavo seculo constructum ad crepidinem Palatini montis, tribus ferè ab hinc annis, fortuito repertum est. In eo autem figura nonnulla visuntur cum Pallio ejus formæ, quæ in superioribus Ravennatum Episcoporum iconibus visitur. Multiplices in Omophorio Græcorum cruces, & conversus ferè à latino deserendi modus conspicitur; ex latere enim sinistro, sinistroque humero circa collum complicatum ad humerum dextrum vertitur, & hinc supra sterni regionem reflexum, ad sinistram rursus humerum reflectitur, & post tergum demittitur, ita ut pars inferior dependeat ferè per medium corpus, ut in apposita Tabella B. ex Duchangio desumpta. His autem, quæ à plurimis de Pallii usu conscripta sunt, illud demum addere placet, videlicet, quod quamvis Pallii, seu Omophorii ornatus ex picturis, Scriptoribus, & Ordinibus Ecclesiasticis nominis supra Casulam, seu, si de Græcis loquamur, supra Phenolion, sive Polytaurion, adhibitus videatur; credendum tamen est ab illis, quibus id licebat Antiquibus, alia etiam supra sacra indumenta delatum fuisse. Gregorius Magnus epist. 54. lib. 4. prohibet Johanni Ravennati Episcopo, ut in plateis Pallium ferè non præsumat. Casulam verò in plateis non crediderim delatam. In veteri Musivo Lateranensis Basilicæ adesse inter cætera S. Silvestri Constantinum baptizantis effigiem, quæ Pontifex exprimitur quadrato, longoque indumento vestitus, cum Pallio huic superposito, testis est V. C. Ciampinus in opere de Constantini Magni Aedificiis inscripto. Præterea ad eandem Lateranensem Basilicam in D. Nicolai Sacello, inter plures Pontifices Saccis, & Omophoriis indutos, medius D. ipse Nicolaus visitur cum Pluviali, quod recentius Latinorum sacrum est indumentum, & recentiori etiam latino Pallio. Ejus autem Monumenti iconem vide si lubet apud Papebrochium in Propilæi parte secunda, cum præfixo Commentario ad Pallii argumentum spectante.

C IX. Narratis, quæ Valentianus Ravennæ contulerit commodi, quæ sequuntur Galla Placidia Augustæ, ejusque actibus, generi, pietatique commendandis, scripta sunt. Porro Singleide notitiam ex solo Agnello hausere Rubens, cæterique Scriptores, quæ eam laudaverunt. Cum Galla Placidia ejusdem Singleide Amita vocetur, consequens fit Arcadii plurium feminarum parentis, filiam fuisse, cum binæ Honorii uxores Stilichonis filia narrentur Jorrandi, & Paulo Diacono defunctæ absque liberis, Maria videlicet, & Thermania, seu Hermantia. At nonnulla ad Valentiani Augusti Chronologiam Agnello tradita, vel explicanda sunt, vel corrigenda. Ait ille; cum his ternos annos, & quatuor tempora anni Valentianus esset, Divo Honorio Patruo suo in Im-

E perium

K